

Grotius:  
De rebus  
jure Germano-  
nico et Iuri-  
cico.









17

I. 169. II.

HVGONIS GROTI  
DE VETERI  
IVRE GERMANICO  
ET  
SVECICO  
COMMENTARIOLVM.



---

MARBVRGI,  
EX OFFICINA MÜLLERIANA  
CL IO CC XXXXVI.

HAGONIUS GROTIUS  
de VETERI  
LITERIS  
ET  
HISTORIA



EX OLLIGINA MONTIBUS  
TURCICIS  
CL CLO



HVG GO GROTIUS  
IN PROLEGOMENIS AD HISTO-  
RIAM GOTHORVM , VANDALORVM ,  
ET LONGOBARDORVM ,  
EDITAM AMSTELODAMI ANNO R. S. CLO I CLY.



**A**ddidi, ait p. 63. sqq., historiis et *Cur etiam leges addiderit?* leges, editas sane iam ante et has, Ostrogothorum, Westro- gothorum, Wandalorum, Lan- gobardorum ; ita persuasus , non minus ex legibus, quam e rebus gestis populorum, aut in populis eminentium, ingenia conspici.

§. I.

Sordebunt haec sola Romana miran- tibus.

A 2

§. II.

## §. II.

*Sententia  
Grotii de  
legibus Ro-  
manis.*

Ego in Romanis legibus subtilitatem minima quaeque persequentem , varietatem , inconstantiam , video , tantam denique molem , et in mole perplexitatem , vt nemo tam felicis sit memoriae , cui non saepe eueniat in leges incursum .

## §. III.

*Qualitas  
legis.*

At philosophia legem vult esse simplicem , breuem , claram ; qualia sunt patrum familias in familiam suam imperia . Tum vero nihil mutata duratio multum secum habet auctoritatis .

## §. IV.

*Simplici-  
tas populo-  
rum Ger-  
manico-  
rum,*

*quibus Ro-  
mana dis-  
plicere ,*

Haec ego in septentrionalium nostrorum legibus inuenire me gaudeo . Atque ita arbitror , ni Deo ipsi ea simplicitas prae argutiis , placuisset , numquam eum vim suam mirificam accommodaturum fuisse innocentium populorum legibus , qui innocentiam singulorum tactu ignitorum vomerum , et quidem nouem , explorabant .

## §. V.

Accedit quod apud complures gentes , foecundas iurisprudentum prouentu , istas leges ,

leges, Romanis vsus, iudex non falsus,  
praetulit.

## §. VI.

In Gallia *Theodoricianas*, non *Theodo-*  
*dofianas*, valuisse leges ait *SIDONIVS*.  
Ex *Wisigothorum* legibus plurima assumta  
in *capitulare Caroli magni*, et *decretum*  
*IVONIS*.

## §. VII.

Adeo etiam qui eis legibus non tene-  
bantur, dignissimas imitatu eas duxere.

## §. VIII.

Postquam e *Sarracenorum* manu re-  
cuperari partes *Hispaniae* coepere, resuscita-  
tiae a *Veremundo*, *Aldefunso*, *Ferdinando*,  
vt *RODERICVS* nos docet, *Gotthicae*  
leges: quarum corpus forum iudicium et  
olim, et nunc dicitur, fons verus *Hispani-*  
ci iuris.

## §. VIII.

Iam vero quae in regno *Neapolitano* et *Neapo-*  
litanis.  
Siculoque valent constitutiones, a *Frederi-*  
*co II.* collectae paene omnes, fluunt e le-  
gibus *Langobardorum*.

A 3

§. X.

*Longobar-  
dorum LL.  
feudales.*

De feudis vero quae ab iisdem Langobardis iam olim moribus erant recepta, eadem apud plerasque gentes alias ita inuoluere, ut partem apud singulas iuris ciuilis faciant.

§. XI.

*Norman-  
norum LL.  
in Anglia.*

Anglia Normannorum legibus etiam nunc regitur.

§. XII.

*LL. mari-  
timae Go-  
thorum.*

Quae de maritimis negotiis insulae Gothlandiae habitatoribus placuerunt, tantum in se habent tum aequitatis tum prudentiae, ut omnes oceani accolae eo non tamquam proprio, sed velut gentium iure vtantur.

§. XIII.

*Transitus  
ad LL. ve-  
tires Germ.*

Quod si cui non sufficit haec tot gentium saeculorumque auctoritas, sed id exigitur, ut ratio cum ratione certet. Percurramus, ad collationem instituendam, summa capita, circa quae versantur leges.

§. XIV.

*Divisio.*

Pertinent leges aut ad publicum aut ad priuatum ius.

§. XV.

## §. XV.

In publico iure primum est ipsa conformatio legum, quae apud Romanos a voluntate pendebat principis, hominis vnius falli mutarique facilis.

## §. XVI.

Inde tot repugnantia imperatorum inter se edita solus Iustinianus non tantum vetera nouauit pleraque, Triboniani ad omnia venalis arbitrio, sed ipse de re eadem ter, quater mutauit sententiam.

## §. XVII.

Apud vestros illos populos, e principe ordinumque dilectis, bene expensae leges *tria habebant commoda*, I) quod nihil publice noxiū latere poterat inter tot monitores, II) quod prompto animo seruabantur, quae communis consensus sanxerat, III) quod eadem numquam aut non nisi summa causa urgente mutabantur.

## §. XVIII.

Morem hunc apud Sueones et laudat et commendat BRIGITTA prudens femina.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

*Munera  
publica.*

Sequuntur *publica munera*, multa apud Romanos eiusmodi inani sono constantia, vacantium, honorariorum.

## §. XX.

Tum in quaque prouincia praeses erat omnia, qui quum omnibus locis adesse non posset, a prouincialibus magno sumtu, et a rebus cuique suis auocatione adeundus erat.

## §. XXI.

De aulae Gotthicae dignitatibus librum non spernendum scripsit PETRVS PANTINVS, quamquam et sine eo ex CASSIODORO ipsisque legibus ea res satis comprehendendi potest.

## §. XXII.

*Cura pu-  
blicae vti-  
litatis,*

Nihil ibi ad speciem, omnia ad utilitatem publicam comparata: non in praecipuis tantum urbiis sed in singulis oppidis, in vicis quoque homines fidi, plebisque ipsius suffragiis probati, qui ius dicant, tributa dispensent.

XXX.

## §. XXIII.

§. XXIII.

Priuatorum negotiorum summa gene-  
ra sunt, *matrimonia, tutelae, contractus,* priuata  
*alienationes, testamenta, successiones ab in-*  
*testato, possidendi securitas.* negotia.

§. XXIII.

DE MATRIMONIIS.

Circa matrimonia ad dignitatem ordi- Matrimo-  
num tuendam multum valuit illud, quod in nia.  
Gotthorum est legibus, etiam in Sueonum  
moribus BREMENSI (ADAMO) obseruatum,  
ut nec INGENVVS LIBERTINAM, nec  
IGNOBILEM NOBILIS ducere posset.

§. XXV.

Et quia reges supra omnem sortem po- Vidua  
siti, ideo viduae eorum nubere non sine- regis.  
bantur.

§. XXVI.

At Justinianus imperator a scena con-  
jugem habuit magno principatus dedecore.

§. XXVII.

Illud vero antiqui Germanici moris Matrimo-  
haud immerito TACITO Gotthisque nostris nia aequa-  
IOANNI et OLAO laudatum, quod nulla Dors.  
lia.

B

dors.

*dos feminis: probitas cuique maritum dabant: ita nec maritalis potestas dote venum ibat, et columnia familiarum, mares, habebant largius, unde se utiles patriae praestarent.*

### §. XXVIII.

*Dona sponsae. Huius aetas.*  
Sed et quae maritus nouae uxori dare posset, arcta definita. Placet et illud quod nubere femina minoris, quam ipsa est aetatis viro prohibetur.

### §. XXVIII.

## DE TUTELA.

*Tutor princeps, agnati et cognati.*  
Tutela non penes natos magis, quam penes cognatos pari sanguinis iure praecipiusque pupillis tutor princeps ipse.

### §. XXX.

## DE CONTRACTIBVS.

*Fides in contrahendo.*  
Contractus maiorum aetate firmi, nec restitutionibus eludebantur. Satius quippe imprudentiae suae quemque poenam luere, quam exemplum introduci laxandae FIDEI, quae Germanis semper sanctissima.

### §. XXXI.

§. XXXI.

Aequitas manifesta in eo, quod debitor, cui per infortunium pecunia periit, *Vsurae.* vsuras creditori non deberet, quodque is, qui rem furtiuam bona fide emit, partem pretii dimidiam seruat.

§. XXXII.

Mancipationes, oppignorationes, ipsaque testamenta palam IN IURE siebant, *In iudicio peragenda.* praesente magistratu, inspectante populo, ita ut nullius rei in incerto essent dominia.

§. XXXIII.

Nec periclitabatur emtor, pretio soluto, rem perdere per tacitas obligationes et latentia fideicomissa, in ipsius damnum eruptura.

§. XXXIII.

DE TESTAMENTIS.

Liberos qui haberet, ei de tertia bonorum parte legandi liberis ius erat, de quinta tantum extraneis.

*Testandi facultas.*

## §. XXXV.

DE  
SUCCESSIONE AB INTESTATO.

*Successio  
ab intesta-  
to.*

De intestatorum successionibus quo fundamento nitantur Romanae leges, nemo dixerit, fluxa omnia, temporaria, inter se pugnantia.

## §. XXXVI.

Simplicissimum illud septentrionalium, ut, qui proximus gradu, idem heres esset, excepto, quod liberi parentibus praeferebantur.

## §. XXXVII.

## DE IUDICIS.

*Litigandi  
temeritas  
coeredita.*

Iudicia apud Romanos in immensum tracta, nec verum tantum, sed et vitae graui dispendio inter tam longas crues; apud septentrionales litigandi temeritas sponzionibus & pignoribus exercita, ipsis iudiciis nihil expeditius.

## §. XXXVIII.

In facti quaestione adducebat actor, adducebat reus testes suos. Pro vtro esset testium

*Modus  
probandi.*

testium maior auctoritas, secundum eum lis  
dabatur.

### §. XXXVIII.

In re ambigua ad iurisiurandi ibatur *Iuriurandum*: id reo deferebatur, sed ita si *dum* complures viros exhiberet famae probatae, qui se ipsius tamquam viriboni iuriurando credere dicerent.

### §. XXXX.

Iuris rata erat disputatio. Si qua esset, *Applicatio iuris*: non ex infinitis interpretum libris, sed ex planis legum dictis aut ex aequo et bono facile statimque diiudicabatur.

### §. XXXI.

Possessionis, vi turbatae, subita reformatio, eunte in rem praesentem cum testibus iudice.

### §. XXXII.

## DE DELICTIS.

Illud ex intima sapientia petitum, quod in delictis duo spectabant, laesum ius priuati et laesam societatem publicam, quae legum auctoritate constringebatur. Itaque

B 3

mulctae

multae duae pendebantur, quod notatum  
et TACICO, altera ei, qui vindicatur, al-  
tera regi aut ciuitati.

## §. XXXIII.

*Freda.* Haec freda dicitur, quia paci publi-  
cae, qui peccauit, per eam restituitur.

## §. XXXIIII.

*Wedrigel-  
dium.* Illa wedrigeldium, id est quod pro ta-  
lione datur.

## §. XXXV.

*Grauissi-  
ma delicia  
tantum ca-  
pitalia.* Probo et hoc, quod non nivis ciuium  
sanguis, nec nisi grauissima capite lueban-  
tur, quodque damnatorum bona salua-  
erant liberis.

## §. XXXVI.

*Minorum  
expiatio.* Minora satis erat expiari pecunia, aut  
tradito fonte in servitutem ei, in quem pec-  
atum fuerat.

## §. XXXVII.

*Cur appel-  
latio haud  
licita?* Quod in criminum cauissis prouocatio  
non dabatur, haud miror, quum pares de  
paribus summa religione ac misericordia  
iudicarent.

## §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Tales sunt leges quas, e Scanzia profecti, per omnem prope Europam, per multa etiam Africæ Asiaque loca circumtulere. *Harum LL. celebritas.*

## §. XXXIX.

Displacet non nullis, quod quaedam caussarum ambigua singulari certamine di-sceptanda permittuntur. *Certamina singularia.*

## §. L.

Verum quod SOLON dicebat, non optimas simpliciter se dedisse leges, sed optimas earum, quas Athenienses ferre possent; idem de aliis legum conditoribus cogitandum est.

## §. LI.

Coguntur illi multa non probanda concedere, et venenum saepe veneno expellere, minus certe malum erat duorum periculorum decertari, praesertim postquam ambo moniti essent ferio, ne contra conscientiam sumtis armis Deum sibi inimicum accesserent, quam totas familias, quod alioquin fiebat, committi inter se, nec bellum velut ciuile excitari.

## §. LII.

*Quomodo defendantur.*

## §. LIX.

Abstulit hunc morem christiana religio: bene, si et quod facere ipsa nata est, nisi nobis nos obstatemus ipsi, radices, unde ista pullulant, exscidisset.

## §. LIII.

## DE RITIBVS.

*Ritus legibus conformati.* Legibus ritus congruebant, graues et ipsi, ac militares.

## §. LIII.

*Manumis-  
sio, adoptio.* MANVMISSIO per sagittam siebat do-  
center PAVLO WARNEFREDO: ADOPTIO  
per arma, quod apud CASSIODORVM est.

## §. LV.

*Arma ac-  
cipiebant,  
in deritter-  
schlag,  
mebrhaft  
machen.  
Adoptio  
honoraria.* Nec regis filius patris mensae erat par-  
ticeps, nisi ab alio rege arma accepisset.

## §. LVI.

Erat et honorarium adoptionis genus, inciso adoptati capillo barbaque, ex eo fluens, quod retulimus; quum de Langobardorum vocabulo ageremus.

## §. LVII.

*Mancipa-  
tio.* Mancipatio siebat rei mobilis aut gle-  
bae festucaeue coniunctione in sinum (bra-  
chia) emtoris.

## §. LVIII.

## §. LVIII.

Multa harum legum rituumque eadem  
fuisse apud eos, qui domi mansere Sueos.  
nas, ex veteribus historiis appetit. Reliquiae  
barumLL.

## §. LVIII.

His alia ex iisdem historiis addi possunt *ad regem*  
*paris ingenii ac propositi.* Quale hoc est *accessus*.  
ad statum publicum spectans, ne quem po-  
pulorum suorum rex accedat, nisi caussis an-  
te per nuntios aut litteras indicatis.

## §. LX.

Et illud, ne ad iudices eatur antequam *austriagae*.  
ad arbitros itum sit.

## §. LXI.

Seruandae matrimoniorum sanctitati *Adulterio-*  
et concordiae haec inuenta reperio: ne ex *rum et ince-*  
adulterio aut incestis concepti capere pos-*stusorum.*  
sint plus dimidio Hungarico ex donatione,  
hereditate, legato, etiam si iure legitimo-  
rum natalium donati sint.

## §. LXII.

Ne extra nuptias geniti, equites fieri,  
iudicare, testimonium perhibere, finan-  
tur.

C

LXII.

## §. LXIII.

*Adulterii  
poena.* Ut adulterii comperta mulier bona que eius in potestate sint mariti: corruptor corruptam, si par est, ducat: si impar dote aut moriatur.

## §. LXIV.

*Vidua  
praegnans.* Viduae quae praegnantes se dicunt ex marito, ut custodiantur. Post decimum mensem partus ne marito adscribatur.

## §. LXV.

*Successio  
coniugum.* Ad bonorum societatem successiones que haec pertinent non spernenda: ut mortui vxor a secundis muptiis abstinen<sup>s</sup> tertiam bonorum partem ferat: alioqui tertia rerum mobilium parte ac lecto stragulisque contenta sit.

## §. LXVI.

*Adquie-  
stus coniu-  
gum.* Stante matrimonio quae emta sunt, ex aequo diuidantur, ne mulieris res marito alienare liceat.

## §. LXVII.

*Raptorum  
et* Raptori heres sit partus, si post xxxx. dierum hebdomadas est editus.

## §. LXVIII.

*Proscri-  
ptorum.* Proscriptorum filii, ne quid de paren- tum

tum bonis capiant, nisi ante praescriptio-  
nem concepti sint. Femina occisa a pro-  
pinquis, ideo quod vterum ferret, heres  
mariti habeatur. bonaque ad propinquos  
suos transmittat.

## §. LXVIII.

Illud in christianaे religionis fauorem  
postea adiectum: mater liberis suis ita suc-  
cedat, si baptizati fuerint.

## §. LXX.

Si vagiens infans auditus esset, fuerat  
in antiquis legibus manetque apud Nort-  
mannos et possessos Nortmannis Anglos,  
contra abortiones scilicet, quo et illa spe-  
ctat cautio, ne vena mulieri fecetur, nisi  
propinquis praesentibus.

## §. LXXI.

Nec causa caruit, quod Graecorum  
quam Latinorum mos Sueonibus, iam gium sa-  
christianis, magis placuit, visimque illis e  
bono publico, ut presbyteris vxores iustas  
habere liceret, quod et ex IOANNIS MA-  
GNI *historiis* et ex INNOCENTII III.  
*epistola* apparet, quodque missos a pontifi-  
cibus Romanis, spreto suorum locorum

C 2

anti-

antistite, doctores non receperunt, quod idem ille IOANNES MAGNVS scribere non inane duxit.

**LXXII.**

*Vtis in-  
uestigatio  
veterum  
vocabulo-  
rum Ger-  
manico-  
rum et  
Gotthico-  
rum.*

Etiamne ad nominum tum communium tum propriorum origines te vocabo, erudit lector? Sed quid hi vocem, quum ille caesar, qui tantas rerum mutationes animo agitabat, de vocum mutationibus, quae obseruauerat scripsit ediderit? Non autem ego, ut alii, linguam mihi quae numquam fuit (Cimbricam faceti nugatores vocant) confinxi meo arbitratu, lapidi nimirum regulam aptaturus. Vocabum explicationem aut certam aut probabilem, partim ex ipsis legibus historiisque habeo, partim ex aliis antiquissimis libris hominum Germanorum, quibus communis cum Gotthis sermo, is scilicet, qui nunc etiam illis ad Mocotim habitantibus manet: cuius non nulla nobis vocabula BVS BEQVIIS dedit. Cum eo sermone is, qui nunc in Suedia usurpatur, manifestam cognitionem seruat.

**NOMINA**

NOMINA APPELLATIVA,  
ET VERBA  
GOTTHICA, VANDALICA  
ET LANGOBARDICA,  
CVM ILLARVM EXPLICATIONE.

*Aetogild* in manuscripta lege Langobardica: octuplum.

*Adalingi.* *Athalingi*, nobiles Paullo interprete.

*Adrhamire.* Solemniter condicere. *Ramen.*

*Agagula.* Lena. manet in Langobardico sermone. *Guochelen*, praestigiis vti. Vnde et calculatores.

*Aldius.* libertus operas debens. *halten.* in manuscriptis est *Haltius*, id est nutritus, alumnus.

*Allode.* *Allodes.* *Allodium.* *Anlod.* Sors hereditaria, quae *Allote* in moribus Anglicis.

*Aliorunna.* *Alrunna.* *Al-runna.* Infernalis mulier. maga. *Al* olim, nunc *Hel.* *Runa* mulier in glossis.

*Amond.* *A-mond* extra potestatem. *Andi-*  
*Angrif.* *An-grif.* aggressio.

*Andigauum.* *Hand-gaue.* datum manu, vt  
a sanis fieri solet, inde verbum bar-  
barum *Andigare*.

*An-vanscīg.* Aggressio in via publica.  
Corrupte pro eo in legibus *Araſcild*.

*Aratreit.* *Har-treit.* Pars tertia. Male  
*Aratreib.* in manuscripto *hariraib*. sed  
scribendum *haritrait*.

*Arga.* ignauus, nunc malitiosum significat.

*Arimarus.* *Her-man.* Miles gregalis, qui pu-  
blicum munus non habet. Postea  
pro paupere sumta vox. Hinc ius  
Arimandiae in feudis.

*Artigauum.* *Wort-gaue*, quod voce datur  
vt ab aegrotis. Hinc verbum *Arti-  
gare*.

*Aſtaliūm.* deceptio. a Latino astus, vnde  
*aſto animo.* apud Plautum.

*Bandum.* Vexillum: a *binden*. vincire.

*Banūm.* iurisdictio: et inde, mulcta.

*Barbanus.* patrius, manet in Langobardi-  
co sermone. In manuscriptis *Barbas*.

*Bassus.* custos populi. *Baes.* manet in Bel-  
gici.

*Bella-*

**Bellagines.** leges, Gotthis. **By-lagen.** pagi leges. **Bi,** pagus. **lagen,** leges.

**Blus-rais.** Sanguinis emotio. Male pro eo in lege Langobarda Lib. I. tit. VIII. cap. 24. **Pluslaib.** quod aliud est. Ex vicino sono nata confusio.

**Blutare.** blooten, spoliare, inanire.

**Brunia.** lorica.

**Bumarium.** **Bunner.** Mensura terrae, corrupte bunnarium.

**Bunna.** **Bunda.** **Bodo.** terminus.

**Cadarfida.** mendose. **Cadarfreda.** **Caderfeda.** **Gederfde.** Usitatum. Nam **Capro** augmento hodierno. **Ge** frequens, et **derven**, vti in dictionario. **Vsus**, piderbi: id est bederf.

**Campio,** pugnator, a campo.

**Carratium.** palus vitis. **Gard-trun.**

**Cassus.** in foro Hispaniae vertitur pierna.

**Gaff:** natos. male capsu.

**Comacin.** architectus. **Gemachin.** **Gemach.** domus.

**Derzon.** sepis ruptura. **deer-zun.**

**Evva.**

*Evva.* lex, et testamentum, quia vim habet legis. inde *eu-werd*, legis custos. sacerdos in dictionario.

*Faderfsum.* Fader-feb. paterna pecunia. quod mulier de bonis paternis ad maritum attulit. Feb olim pecus, postea res omnis mobilis, ut pecunia Latinis.

*Faia.* glans.

*Faida.* Faith. Fede. Feithe. Inimicitiae testatae.

*Fana.* generatio, familia. a verbo *faren*, quod est progredi. post christianissimum dicta sic paroecia, vnde *far-her*.

*Fegangi.* Dum cum re mobili, item deprehensio furis dum rem furtiuam penes se habet. *Feb-gang*.

*Feld.* campus patens.

*Ferquidum.* ferquit. Compensatum. quieten, par pari referre. fer, praepositis. *farfalia.* verval. *ferbannitur*, verbannen. *forbatitus*, verboden.

*Fodrum.* foeder. annona militaris. Nunc ferme de pabulo tantum dicitur.

*Forbannum.* Ferbannen. extra territorium positus.

Fore-

- Forestum. Forst.* Nemus. aliis dialectis:  
*Hurst. Horst.*
- Fornacca.* in manuscripto legum Langobardicarum, campus, arvus. *Forn* sulcus.
- Frea.* libera femina, inde *fravv.*
- Freda, Fredum.* pax: et inde compositio cum rege.
- Fulboran.* *Ful-boren.* plene natus, id est optimo iure.
- Fuifreal.* *Ful-fre-al.* plene, et omnino libera persona, quae nec operas debet.
- Gaium.* Silua densa. In manuscripto: *Gebagium.* *Gebage.* Silua septa.
- Garathinx.* *Gar-thinx.* Vniuersitatis donatio in iudicio. Thingen, indicare. sed inde sumtum pro actu legitimo omni, qualis cessio in iure.
- Gardingi.* *Wardingen.* vulgo *Warders.* custodes, praefecti iudiciis. G. pro *W.* ponunt Itali.
- Gargathingi.* exponitur, secundum qualitatem personae, compensatio, *vergoething.*
- Gamales.* Exponitur confabulati, a fabula quod est pactum nuptiale. Significat D affines,

affines, vulgo *gemalen*, coniuges: inde *Gemalischen* per coniuges coniuncti. *Gamabales* in manuscripto legum Langobardicarum.

**Gaphans.** *Gafandus.* in manuscripto *Gafand.* *Gafband.* manus donataria. Heres, quia hereditatis relictio per modum donationis peragebatur.

**Gafindium.** *Gesinde.* familia. Inde *Gafindii*, domestici regis.

**Gassuldus.** *Gastalde.* Exponitur qui curtim gubernat. proprie, positus, qui vicem gerat. *Ga* et *Ge* augmenta pro dialectis variant. Alii *Ca* pro eodem ponunt, vnde *Castaldus*.

**Gildonia.** sodalitas, adunatio. *Gilden.* ab arca communi.

**Gillonarii.** poculorum ministri. *Gillo* poculum.

**Gisiles.** testes. Item obsides: sed proprie sodales.

**Grauij.** comes, siue iudex. vnde *Dyc-grauii*, aggerum iudices, *Landgrauii*, terrarum, ect.

**Giufa.** *Guipha.* *Wiffa.* signum ex panno.  
Wippe,

*Wippe.* vnde verbum *Guifare*, insigne proprietatis apponere.

*Harniscara.* *Harnis-scara*: Armorum ruptura: Gallis *rotture*. et inde mulcta, quae ea ignominia redimitur. *Scaren*, abscindere, vide infra *Obscariones*, et *Scariones*. Ab eadem origine *Lidscarti*, membra scissio, *Orscarti* auris scissio, verbalia in ti.

*Heribanum.* *Her-ban*. Castrense edictum, quo ad exercitum homines vocantur et inde mulcta in emansores.

*Heriliz.* *Heristiz*. *Her-liz*. exercitus deseratio. in glossis exponitur armorum depositio, item absque licentia principis ab hoste (id est exercitu, Gallice *host*.) reuerti.

*Impans.* *In-pand*. oppignoratus, id est seruus regi traditus sub fiducia, ut eum manumittat.

*Intopa.* inuasio à *Top*, vel *Zup*, Germanico. Manet apud Langobardos. in glossario *Herizup*.

*Laiscum.* Cerrus arbor. In manuscripto *Labisclo*.

**Lama.** piscina. *Lada* posterioribus. Paulus Langobardus in Festi compendio *La-cunam* suae gentis non Romana voce *lamam* interpretatur.

**Largica,** coxa supra geniculum, a largitate.

**Launchild.** In manuscripto *Launigild. Loon-gild.* Pecunia in pretium data. Donationes sollemniter fieri in iure debebant. Si quis priuatim facere vellet, indebat & venditionis speciem, vel veram vel dicis caussā; ut festertio numero, sicut Romani loquebantur, rem addicerent, id est *Launechild*. Inde est quod glossae *Launechild* exponunt, *sine solemnitate*.

**Leudum.** *leudis.* compositio, proprie quae pro homine, *leude*, datur. Species *Wi-drigildi*.

**Lidelaip.** *Lido-laip.* in manuscripto *Lidin-laib.* in derelictionem vitae, donatio mortis caussā.

**Mallum.** placitum generale, id est conuentus totius regionis: vnde *Mal-stede*.

**Mannire.** *Manen.* citare. nomen a luna noua

noua aut plena, quae tempora rebus  
agendis captabant Germani, Tacito  
teste.

*Marchio.* contracte vti pleraque in o.  
*Marck-Graf,* limitis iudex.

*Mar-bais,* strator. qui equis imperat. ita  
meliores codices, pro *Marpabis*.

*Marworphin.* *Merworphin.* *Mar-worffing.*  
de equo deiectio.

*Masca.* benefica, saga. Manet vox Lango-  
bardis in Italia. proprie est larua.

*Methium.* *Methe.* *Mede.* Sponsalitia largi-  
tas, et generaliter quaevis merces. In  
manuscripto : *Metsio*, dotalia pecunia.

*Morgengap.* *Morgen-gaf.* Matutinum do-  
nnm, quod post primam noctem no-  
uae nuptiae datur: *ἀγαλυπτίρια*, Θεώρησ.  
Hinc matrimonium ad *Morgengabi-  
cam*, minus iustum: male ad morga-  
naticam in feudis.

*Morioc.* *Mor-ioc.* maior iunctura. Brachii  
pars supra cubitum. *Mor*, pro com-  
paratio passim. *Ioc*, iugum. in di-  
ctionario scribitur *Iokbe*.

D 3 Morth.

*Morth.* *mord.* *murd.* *caedes latrocinalis.*  
*Latinis sequioris aeui mordrum,* *murdum.*

*Mund.* *mundium.* *potestas ab ore;* quod  
*qui eam haberet,* pro alio in iure lo-  
*queretur.* inde *Munt-here,* qui tali  
*potestate est praeditus:* item *Mund-*  
*wald.*

*Mundeburd.* *mundbyrd.* *Mundboran.* vnde  
*vulgare Mamburn,* ad potestatem ob-  
*tinendam natus.*

*Obscariones.* *Carcerum custodes,* iidemque  
*carnifex,* qui et *Scariones a scaren,*  
*et obscaren:* quod est abscindere *Oue-*  
*scariones* in manuscriptis.

*Ploum.* *vomer cum rotis:* Plinio Gallica  
*voce composita,* *plammo-vati.* *ploug.*  
*vulgo,* *vomer.*

*Plustaib.* *Plus-laib.* Despoliatio corporis.  
*Plussen* alia dialecto *Blooten.* vide *Blu-*  
*tare.* in manuscripto pro *pluslaib* est  
*plodraub.* spoliatio ad nudum.

*Rapuuorfin,* in manuscripto *Langobardi-*  
*carum Graef-rouing:* sepulturae de-  
*spoliatio.*

*Saiō.*

**Saio.** proprius explorator, minister publicus, qui merces explorat, quod *Saien Belgae*, et *Saxones*; *Franci* *Essayer* vocant. Significatio mox latius fluxit.

**Sala.** domus, hodie aula domus.

**Scabinus**, *Scabineus*. *Scepeno*. Verum nomen *Escepen*, electus, a *scepen* eligeretur. *Eschevin* Gallis. alibi *gesworen* et *eleus*. sunt adfessores, ex quorum sententiis iudex pronuntiat, non promiscue, ut in ciuitatibus magis popularibus, sed ad hoc a principe consensu vniuersitatis electi. vide capitulare.

**Scacchum**. *Schaeken*. Rapina: unde et ludo latrunculorum nomen, quod a Germanis ad Graecos et Persas usque peruenit.

**Scamera.** explorator. a *Scemer* tenebris.

**Scariones**, vide *Obscariones*.

**Scematio.** *Schenden*, corruptio.

**Schala.** patera. Facta olim quidem ex calia interfecti hominis: (quae *schele*, *hooft-schele*) postea ex alia materia ad illius modum.

**Schilpor.** Schilt-forer. Scutiger.

*Sculd.*

*Sculd-Hais.* debiti praefectus. qui non de capite sed de pecunia iudicat, manente in hunc diem nomine, varie corrupto. *Scultheizo*, *Sculdasius*, *Scultes*, *Scultet*, *Scoutet*, *Scout*.

*Sculta.* a Latino auscultare. hoc est in manuscripto: male in editis *Sculca*. Vocem esse Latinam etiam Theophylactus notat. Exponunt glossae vigiliam et caualcatam. Graeci διαφερειν, βίγλαν.

*Selpmundio.* *Selp-mund.* suae potestatis arbitrium, in manuscripto legis Langobardiae.

*Snaida.* in manuscripto corrupte *Sinaida*. Scissio in silua, Latine collucatio. glossis via. Galli *essartum*, id est exer- tum vocant.

*Soga.* Glossis bene, funis. *Sogen* trahere. Inde in dictionario: Protrahendo fur- zechanto.

*Sonopair.* Gallicum *sans-pair*. Verres omnium verrius vixor.

*Spata.* ensis, latus scilicet, a similitudine lagonis.

Stal-

*Stallarium. Stalle.* stabulum. Salicetum glosae exponunt.

*Stolizaz.* Stoli-zaz. Solii inseffor, nomine regis scilicet. Missum regis interpretantur leges.

*Straua, straba, straffe,* vltio. Eximie dicitur de inferiis ex captiuis hostibus.

*Sumnis.* Suinnis. Impedimentum, mora. Corrupte scribitur *Sunnis.* Sonnis. *Sunnia.* vnde, exsoniare, moram purgare.

*Theclatura.* Teecken. signatura.

*Thinx.* Solemnis donatio, sive potius in iure cessio, a thingen, quod est iudicare, aut rem in iudicio peragere. vnde *thinxdagb*, dies dicatus iudiciis.

Hinc thingare in iure emancipare. Hastingsum, domus iudicii. *Than-*

*ganare*, in glossis, iudicium petere.

*Thinc*, Saxonibus esse concilium, testatur Adamus Bremensis.

*Threuz.* dicitur de eo, qui ex filio naturali natus, quasi *Thres*, Tertius: connumerata ipsa femina, in qua fuit culpa.

*Tremum.* Trimme. Redimitum, etiam nunc

E

Saxo-

Saxonice. Sic dicta in legibus pars  
brachii infra cubitum , quod armillis  
ornari soleret.

*Trottingi. Trostinge.* Solatia. Ita dicta lu-  
diones, quod luctum pellant.

*Trustis.* Toe-rust. Expeditio.

*Tyupbadi.* Tyf-faden. furum captores. La-  
trunculatores : nomen minoris magi-  
stratus. *Ghiulda,* *Thiob.* furtum.

*Wad.* Latino-barbaris *Vadium.* *Wedde,* pi-  
gnus. vnde Francis *Gage.*

*Wadiare.* gager. pignus dare , obligare.

*Walapauz.* Wala-pauz. Externus , siue fal-  
sus ornatus. *Waal,* peregrinus, et in-  
de pro falso, vt in annalibus Franci-  
cis *Walamer,* falsus princeps. Pauzen,  
ornare.

*Valuasores :* *Waldfester,* nemoris custos.  
Ea significazione hanc vocem reperies  
semper in tabulis, quas Romanas vocant.

*VVarend.* *VVaer-band.* verum faciens ma-  
nus. id est qui auctoritatem praefstat.  
*waarantus,* Francis *guarand.*

*VVardin.* *VVarding.* custodia. Vide *Guar-  
dingi.*

*Waren-*

*VVarengang.* qui enarrando ambulat.

*VVarren,* oberrare.

*Vassi. Vasten.* firmi. minus, quam Drudi in beneficiis. etiam fideiussores sic dicti, quod alienam obligationem confirmant. Alii scriberent *festen*. *Fastermannes*, fideiussores ab eadem origine Saxonibus.

*Vecorin. VVec-weren.* via, weg. Ita scribitur in dictionario: nunc *wegh*. leges *vecorin* exponunt, viam antestare. in munuscripto *VVernorin*. sed scribendum *VVecmorin*. Saxonibus hoc dicitur *Faristel*.

*Vestire*, non Latino significatu, sed Germanico, *festen* confirmare: id est ius alicuius solemniter affirmare, ut sine vitio possessionem adipisci possit.

*VViderboren. VVider-horene.* renata: id est solenni modo manumissa, ita ut nullum seruitutis vestigium maneat.

*VVidrigilt, weregilt, weregil.* contraete *were*: et Saxonibus *withe*. *weder-gelt* retributio, pretium damni dati. Compositio, more veteri Germano-

manorum, de quo Tacitus. *Pars  
multae regi, vel ciuitati: pars ipsi,  
qui vindicatur vel propinquus eius ex-  
soluitur.* Hoc est, *widrigilt*, illud,  
*freda.*

*VVifa. wiffa. wip.* vide *Guipha.* Scribi-  
tur et *Hiupsa.*

*Zama.* adunatio. Corrupte *Zana*, aut *Za-  
cia.* Glossae bene interpretantur *Rot-  
te.* Hinc *Leudsamium*, subditorum  
congregatio, in formulis.







Kh 406  
S

vol 18-3 PDA



B.I.G.



17  
I. 769 II.  
281

HVGONIS GROTII  
DE VETERI  
IVRE GERMANICO  
ET  
SVECICO  
COMMENTARIOLVM.



MARBVRGI,  
EX OFFICINA MÜLLERIANA  
1590